Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 673
Quelle:
Copyright:

Scriptori requiem lector deposce perhennem
Qui mente pia petit dici aue Maria.

CCCXXII.

R.3294 Codex ejusdem rationis, Folior. 266. ab alio Scriptore, et praecedentibus ornatior est Tomus III. complexus *Quinquagenam III. Psalmorum*, quorum primus ἀνεπιγραφως incipit: *Ecce unus pauper orat, et non orat in silentio*, ut edit. *Maur. cit. col.* 1091. Ad calcem hic: *Anno Domini Millesimo Quadringentesimo Quinquagesimo tercio finiui hunc librum in die Sancti Galli confessoris atque Abbatis. Deo gracias. Per me fratrem Wilhelmum.* Tres istos Coenobitas nemo sanus otii aut desidiae arguet, qui vastos ejusmodi Tomos ita gnaviter exararunt, ut toto opere calamum nunquam posuisse, nunquam interquiesse videri possint. Exemplis ceterum sat castigatis usi sunt.

CCCXXIII.

R.5 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 143. fol. max. charactere grandi, nitido per duas columnas exaratus, et literis initiorum luculentissimis eleganter picturatis, olim *Monachorum congregationis S. Justine de Padua, deputatus Monasterio S. Seuerini de Neapoli*, ut ora inferior p. 1. testatur, continet Partem priorem *Enarrationum D. Augustini in Psalmos*, et ita inscribitur: *In Nomine Domini Incipit Prologus Beati Augustini Super Expositionem Psalterii.* Prologus hic manu Seculi XV. rescriptus est, cum folio *primo Codicis* avulso, non nisi tres lineae ultimae illius a prima manu restarent. Perperam vero ad *Augustinum* refertur, licet a variis *Codicibus*, antiquioribusque Editionibus ei tributus. Est enim *Basilii* M. et graece legitur *Edit. Maur.* T. I. *Paris.* 1721. p. 90. f. adjuncta Versione magis quidem pressa, quam nostra sit, quae autorem habet *Rufinum Aquilej.* et ejusdem *Edit.* T. II. inserta est a *Garnerio Append.* p. 713. cum aliis *Basilianis* a *Rufino* versis, ut ipse in *Praef. ad Apronianum* testatur. Abest vero hic Prologus ab edito sub *Rufini* nomine *Lugd.* 1570. f. *Commentario in LXXV. Psalmos*, unde fulcitur Eruditorum sententia Commentarium hunc *Rufino* subpositum fuisse, pertinereque ad alium Compilatorem, et fortasse *Vincentium* quemdam Presbyterum *Gallum*, ut visum *Vallarsio*, qui teste *Gennadio* c. 80. in Psalmos scripsit, statimque in Psalmum I. locum sat prolixum sublegit *Augustino* nostro, quod ὡς ἐν παροδῳ dictum. Initium porro hujus Prologi est: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est* &c. Finis: *ipsa Psalmorum indicent initia.* Opus ipsum minio inscribitur: *Incipit de primo psalmo;* et ditur: *Beatus vir* &c. *De domino nostro ihesu christo id est homine dominico* &c. ut Edit. *Maur.* T. IV. *Paris.* 1691. *col.* 1. f. quacum ita con-